



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Series Actorvm Omnivm In Canonizazione Sancti Thomae  
a Villanova, Cognomento Eleemosynarij**

**Romae, 1658**

Adm. RR.PP. ac Fratribus Provinciae Nostrae Aragoniae Ordinis  
Eremitarum S.P. Augustini in Domino salutem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9857**

Adm. R.R. PP. ac Fratribus  
PROVINCIAE NOSTRAE  
ARAGONIÆ  
Ordinis Eremitarum S.P.Augustini  
in Domino salutem.

**P**lè quidem, & religiosè desideratis cognoscere, quo  
tenore Sacrum Consistorium, tum publicè, tum  
priuatim approbarit, ut magnus ille Valentia  
olim Archiepiscopus Sanctus Thomas noster à  
Villanova Sanctorum fastis adscriberetur; quoque dein festi-  
vitatis ritu Sacra adscriptio sit peracta. Cui vestræ pietati, ut  
fiat satis, prælo iudicauimus esse opus, quo cœn publico inter-  
prete ad apicem perdiscatis puram-putam veritatem, nō aliun-  
de, quam ex ipsa actorum serie depromptam: non alio decore,  
quam suo. vestitam. In hac igitur actorum specie, quam exhi-  
bemus, velut in ipso Consistorio, velut in ipsa Sanctorum Apo-  
stolorum Basilica videre vobis, & audire videamini quicquid  
utrobique Roma vidit, & audiuit, non solum ab ipso Beatifi-  
cationis exordio, sed etiam usque ad sanctæ Canonizationis co-  
ronidem. Quod dum facitis veneramini in primis Sanctissimi D.  
N.D.ALEXANDRI VII. P.O.M., totiusque S. Congreg-  
erga Sanctum Parentem Augustinum, augustum eius in Chri-  
sto filium Patrem Pauperum Thomam, & Religionem nostram  
Augustinianam, affectum præstantissimum, ut potè qui, dum pro  
Sacra Canonizatione ad Sanctos pedes supplicabamus, præter  
cetera

cetera singularis benevolentiae signa, nostram S. P. Augustini Religionem asseruit esse suam; suam utique, à vita, dilectione, & tutela. Celebratis pariter Illustrissimi, ac Reuerendissimi Domini Francisci Mariae Phœbei Sacrorum Rituum Congregationi à Secretis gratissimum, quod Religioni præstare potuit, obsequium, eiusque pro Votis suis deuotissimam, qua Sanctum Thomam prosequitur clientelam. Ille nimirum sicut totam huiusc rei prouinciam quasi suopte pietatis zelo resumpsit, sua cura promovit, adornauit: ita denique ex suis annotationibus ad verbum præscriptam (sed quia ex Archivio identem à Nobis rogatus) in lucem dari non abnuit; pro quo tam singulari beneficio gratiam semper debebimus, nunquam dicituri satis. Quare vestræ pietatis plurimum interest, Sanctissimum Dominum Nostrum, cum toto Purpuratorum Patrum cœtu, & affectuosisimum nobis Illustrissimum D. Secretarium vestris precibus ad Sancti Thomæ sepulcrum habere commendatos. Ceterum nostri quoque estote memores, qui, quas debemus nostris hic Benefactoribus, & Patronis grates, sedulo humanitatis officio, reeddere allaboramus. Ita bene in Domino valete. Romæ apud S. Augustinum de Urbe die 25. Novembris 1658.

Vestrarum PP. RR.

Seruus in Domino

Fr. Andreas Azzar

Assistens Generalis Hispanie

Aduenit